

habens tunc sibi assistentem Henricum, ducem Bavarie,
cui idem rex Bohemie filiam suam tradidit in uxorem,
eundem Lodovicum imperatorem ad bellorum materiam
provocavit. Sed ipse Lodovicus imperator bellorum incon-
modis et adversitatibus imperterritus cum copiosa et clara
armatorum militia^{h)} sibi in faciem se opponens et in pro-
ximo iuxta ipsum castra sua ponens, factus sibi in magnis
copiis superior, dum dictas rex cum ipso imperatore con-
gredi non auderet, sed et castra sua per aliquot dies vallo
^{at} et munitione concludens ad ultimum fugam accepit.

Fertur autem, quod in exercitu Lodovici imperatoris illa
vice tanta et preclara electorum virorum militia fuerat
adunata, qualem non fertur per aliquos tunc recordantes
in alicuius principis acie constituisse. Nam plus quam
9000 militum electorum signatas habentium galeas e-
quidum in exercitu ipsius Lodovici fuisse memorantur,
et preter hunc numerum tanta copia equitum armatorum
licet non specialiter signatorum, quod numerum excedebant.

Eisdem temporibus indomitus populus Flandrie contra
comitem Flandrie seditione consueta insurgens eundem
comitem^{30]} de patria cum nonnullis viris militaribus expu-
lerant. Cui assistens Carolus^{31]} rex Francie cum militaribus
copiis Flandriam depopulaturus intravit. Provinciales

h) militia cod.

^{30]} Lodovicum. ^{31]} Rex Francie illo tempore erat Philippus, mortuo brevi antea Carolo IV.

Jany Jansz Annal. Pol.
lib. 1. inter Rainold.